

024

022

028

018

033

013

073

123



IN TABULAS RUDOLPHI PRÆFATIO.



**D**UAS habet Astrorum scientia partes: prior est de Motibus, posterior de Effectibus Siderum in naturâ sublunari. Utramq; Veteres communi vocabulo Astrologiam soliti sunt appellare. Cum verò ingens sit inter has partes discrimen causâ certitudinis; Nominibus etiam distinguere illas posterior usus obtinuit; ut doctrina de motibus, Astronomia potius nuncupetur, quod leges motuum sint immutabiles, summâq; ratione constent: altera verò pars, in conjecturis occupata, commune quondam Astrologia nomen sibi privatum haberet: quippe que primum etiam locum in animis hominum, futuri providâ, fecerit rerum cælestium contemplationibus. Nam ut in hominè, præstantissimo totius Universitatis opere, quippe Domino omnium, & imagine Dei creatoris, ortus principia sunt imbecillia, jocularia, & contractâ à jam labe, penè pudenda, humor exiguus, & sanguis menstruus: locus in parte totius materni corporis vilissimâ; cibus recens edito, lac & opus, aut somnus, aut vagitus; vita, sordes; amictus, trica: ex hac tamen veluti officina nobis prodeunt, qui urbes extruunt, qui portus effodiunt, qui montes rescindunt, qui freta pontibus sternunt; prodeunt Principes, Reges, Monarchæ: sic illa cælesti machinæ capax disciplina, concepta primum ex imaginatione horribilium solis & lunæ defectuum, siderumq; crinitorum, quas apparitiones tristissimi gentis humana casus consequerantur: exinde formationis suæ primordia ducens perquam tenuia & obscura, per suasionis de astris, variâq; constellationum figuris, & cupiditatis futurorum, primum vim quandam veluti vitalem concepit; qua freta, ex cogitationum latebris in lucem aperte professionis erupit, palamq; inter homines jactari cepit: tum deinde per somnia & nugas prædictionum Genethliacarum educata, paulatim adolevit; tandemq; nucibus, ut ajunt, relictis, virili ausu, per consueta Meditationum cælestium exercitia, multis ad usus vitæ, machinationesq; admirabiles, adq; providentiam rerum necessariarum transiit; ad morum etiam emendationem, quin imò ad ipsius Dei creatoris cognitionem, veluti per gradus aliquos, magis atq; magis enititur.

Job. 10. 10.

Astronomie mater Astrologia.

Veruntamen, ut in arborum fibrâ anni, sic in totâ divinissima artis compositione lineamenta quadam apparent ortus hujus; ut Matrem & Nutricem Astrologiam, abnegare non possit Astronomia filia & alumna. Partes ejus præcipue habentur, Observationes, Hypotheses, Mechanica, Calculus seu Tabule: quæ singule in prædictiones feruntur. Observare docuit Siderum positus, cura futuri provida, ortumq; Canis, metus à Nili exundationibus: Hypotheses constituerunt Artifices, ut observatarum varietatum causis in aperto positis, jam non tantum Annona ex Astris, sed ipsa etiam Astra ex Hypothesibus prævideri possent, essentq; signa futurorum prius in mente, quam in mundo. In hunc usum suppeditavit Arithmetica Calculos & Tabulas, Hypothesum vim exprimentes; Mechanica, Circulos, Theorias, Sciaterica; ut qua parte mens defatigata succumberet, ibi vel manus opitularentur; essetq; omni modo via patens & complanata, quæ in positum siderum presentem, præteritum, vel futurum rectâ duceret; ut ejus intuitu, scilicet, nascentium fata pangi possent.

Tabularum origo ex Astrologia.

Verumenim verò partes istas artû, acceptas ab infantiâ, sanè quam profundâ, & insipientè, succedens maturior exercitationis ætas, sinûq; sublimior & inculpatius, & approbavit omnes, & roboravit consolidavitq;: ut porro non possit iis carere Philosophia sideralis: Solemq; è mundo sublatum eat, qui tabulas Astronomicas è Philosophia, doctorumq; pulpitu exulare jussit.

Finis tamen seu usus summe necessarius.

Nam

Ende

Anfang